mi & perſpicaciſſimi magnum omninò pretium, uti par eſt, ponamus, ſine morâ manum inſtituto huic affundimus atque in rem præſentem deſcendimus. Faxit DEUS, veritatis & pacis Autor idem, ut beneficio luminis ſui prudentiæque illius, quæ deſurſum venit, adjuti rem acu tangamus!

Quæritur.

NUM CONSEQUENTIÆ EX ERRORIBUS NECESSARIO MANANTES ERRANTIBUS RECTE IMPUTENTUR ATQUE NUM EX PERICULO, QUOD SECUM FERUNT, DE MOMENTO ET PONDERE ERRORUM JUDICANDUM SIT?

EVOLUTIO.

QUi, quæcunque hanc in rem Theologi ſcripſere, ſollicitè inquiſiverit, is diverſas in vias ipſos ſecedere animadvertet. Sunt enim, qui conſequentias plurimùm urgendas eſſe exiſtiment, ſunt, qui ſecus. Et verò vel maximè argumentum hoc tactum fuit, ubi contra Reformatos pugna fuit inita. Agedum, allegemus primùm illos, qui rigidiora heic principia tenuere.

Et verò eminent heic inter rigidiores Theologi Tubingenſes, qui tùm maximè, ubi cum Palatinis rem habuere, conſequentias gnaviter urſerunt, nec ullâ Palatinorum proteſtatione ab hoc inſtituto ſe deduci paſſi fuere. Non opus eſt, ut verba ipſorum, quæ brevitatis ergò heic omittimus, referamus, cùm ad manus ſit, qui magnâ induſtriâ multâque curâ quæſtionem hanc evolverit, TOBIAS WAGNERUS, Acade-

Academiæ hujus nostræ olim Cancellarius. Is enim in inquisitione Theologicâ in acta henotica totam sectionem secundam huic argumento enodando consecravit hancque in sententiam ivit, consequentias non solùm *practicas*, id est, quæ ab errantibus agnoscantur, sed & *logicas*, id est, quæ, licet ab errantibus haud agnoscantur, tamen necessariò & evidenter ex errore ipsorum fluant, ipsis imputandas esse. WAGNERO ad latus ponamus ὁμόψηφον JOH. ADAMUM OSIANDRUM, ipsius in dignitate Cancellariatûs successorem, acutissimi judicii Virum, qui in Theologiâ casuali eâdem chordâ oberrat. Vide, si placet, & inspice P. 5. C. 3. p. 596. sqq. ubi quæritur: *Num rectè, conscienter & jure adversariis imputentur ea, quæ per consequentiam legitimam è scriptis ipsorum deducta sunt?* & respondetur: *quid sic.* Eandem sententiam ex Argentoratensibus Theologis mordicùs defendit JO. CONRADUS DANNHAWERUS, Vir præstantissimus. Confer ipsius ἀντιχριστοσοφίαν sect. 2. art. 2 §. 21. p. 497. sqq. hodomoriam Spiritûs Calviniani in prooemio §. 9. p. 31. sqq. & phantasmate 4. art. 5. p. 966. sqq. μυστηριοσοφίαν sect. 1. art. 1. §. 3. p. 16. 17. Reformirtes salve und Frieden-gruss p. 233. 237. sqq. illicem & obicem p. 173. sqq 215. sqq. 332. seqq. & dissert. de probatione spirituum art 5. p. 80. sqq. quæ loca qui evolverit, conspiciet, DANNHAWERUM eadem subinde in scriptis suis verba repetere. Succedat jam JO. HULSEMANNUS ὁ πάνυ, qui in Calvinismo irreconciliabili, quamvis ajat, consequentias, *etsi ad ipsam dogmatum controversorum conciliabilitatem intrinsecam & abstractivam nihil faciant, tamen ad evidentiam controversiarum demonstrandam facere*, nihilominus existimat, consequentias legitimas errantibus, licet eas non agnoscant, jure imputari. Qu. 4. §. 7. p. 189. sqq. HULSEMANNO addere convenit NIC. HUNNIUM, qui in διασκέψει theologicâ de fundamentali dissensu doctrinæ Evangelicæ-Lutheranæ & Calvinianæ seu Reformatæ Qu. 3. C. 1. art. 2. §. 476. sqq. p. 292. sqq. eandem tibiam plenis buccis inflat, atque ita vel tandem argumentatur: *Quicquid 1. omnium sanæ mentis hominum unanimi calculo ap-*

probatur, 2. *à Christo & Apostolis fuit usurpatum* 3. *ab omnium temporum orthodoxâ Ecclesiâ frequentatum*, 4. *à Reformatis quotidiano usu receptum*, *id nec nobis est prohibitum.* 5. *qui investigatio errorum circa doctrinam fidei per legitimas consequentias* &c. *Ergò* ea *neque nobis est prohibita.* Jam & sententiam suam dicat JO. ADAMUS SCHERZERUS, qui in Programm. 30. de lachrymis Christi p. 397. ita habet: *Quamdiu absoluti decreti monstro nuncium non mittunt, non invitâ Logicâ, quæ* consequentias non facit sed tamen animadvertit *juxta Augustinum L. 2. de doctr. Christ. C. 32. ipsis impietates inde manantes*, Christi hypocrisin, lachrymas Crocodilinas &c. *merito tribuimus.* Idem in exercitat. ad Salvatoris oraculum Matth. XI. 21. Luc. X. 13. *Væ tibi Chorazin* &c. §. 58. p. 58. 59. ita infit: *De consequentiarum usu dum hæc scribo, simul ad delicatulos* Syncretistas *&* Calvinistas *respicio. Nolunt nimirum illi Logicæ judicium subire & consequentias deprecantur, quæ ex dogmatibus ipsorum sponte suâ fluunt.* Addit idem: *Si priùs consequentia non valeat, quam fateatur adversarius, se illam admittere, jam* Keddianæ petitiones principii *valebunt.* Sed *responsum à nostris: syllogismum habere* δύναμιν ἀναγκαστικὴν *suam* καθ' ἑσῶ *semper, licet non semper* καθ' ἑξῶ. Denique in Collegio Anti-Calviniano hæc thesis II. procœmialis Reformatorum p. 8. sqq. refutatur: *Dogmata absurda per consequentiam è thesibus Reformatorum deducta iisdem non rectè imputantur.* Agmen claudat beatus Parens noster in corollario de imputatione consequentiarum, quod adjectum conspicitur dissertationi de imputatione divinâ, ubi vel maximè quoque urgetur dictum JO. COCCEJI ad Malach. III. 17. *Consectaria dogmatum pro dogmatibus habentur*, aliudque Augustini de doctrinâ Christianâ L. 2 C. 33. *Ideò infertur verâ connexione, quod falsum est, ut eum, cujus errorem corrigere volumus, pœniteat concessisse præcedentia, quorum consequentia videt esse respuenda*, diciturque vel tandem, consequentias Doctoribus sinceris & minus suspectis, qui ante motas controversias securiùs locuti fuerint, condonandas, obstinatis verò hære-

hæreticis, qui flocci pensis omnibus veritatis cœlestis demonstrationibus, mordicùs tamen errores suos defendant, constanter imputandas esse, ut pudefiant. Unicus est, quem addimus, SAMUEL PUFENDORFIUS, qui in Jure feciali divino sive in exerc. de consensu & dissensu Protestantium §. 91. p. 376. 377. hæc habet, PETRI JURIÆI consultationi de pace inter Protestantes ineundâ p. 165. opposita. *Ut porrò particularismi sui tolerantiam eò faciliùs persuadeat* Juriæus, *negat eidem invidiam faciendam per pravas* consequentias, *quas nostrates inde solent deducere, ipsi contra eas nec admittant, nec videant. Ast nos contra dicimus, uti ex veris præmissis falsa conclusio consequi non potest, si quidem forma rectè se habeat: ita, si salvâ formâ è præmissis pravi quid promanet, saltem aliquam præmissarum vitio laborare necessum est. Nec ideò id vitium tollitur, quia præmissarum autores consequentiam sese videre negant, multò minùs, si per animi pervicaciam eam admittere nolint. Nam, qui propositionem aliquam adstruit, non solùm pro hâc tenetur, sed & pro omnibus, quæ per necessariam connexionem ex istâ deducuntur. Eoque si à nostratibus per legitimam consecutionem citra cavillationem & calumniam è doctrinâ particularismi pravi quid deducatur, huic sententiæ addicti pro eo quoque respondere tenentur, si maximè dicant, se consequentiam non admittere, cùm id perinde sit, atque concessis præmissis conclusionem negare, nisi idonea reddatur ratio, quare posterius è prioribus non rectè inferatur.* Hactenùs PUFENDORFIUS.

Qui mitiora fovent principia existimantque, consequentias ex erroribus propullulantes errantibus haud esse imputandas, permulti sunt sed maximam partem Reformati. At verò jam nemo à nobis poposcerit, ut verba ipsorum in rem præsentem adducamus. Esset enim hoc, inanem operam agere. Non possumus tamen, quin hîc appingamus verba celeberrimi apud Genevenses Theologi JO. ALPHONSI TURRETTINI in oratione de componendis Protestantium dissidiis exstantia, quæ p. 26. sqq. ita habent: *Scio equidem, AUDITORES, (nec enim illud dissimulandum est, si quidem*

hæc

hæc est una ex præcipuis ejus, quam optamus, pacis remoris,) scio, inquam, illa non raro Ecclesiis nostris affingi, quæ quidem si teneremus, indignissimi mortalium essemus, quibuscum ulla iniretur concordia. Odiosa nempe consectaria ex principiis nostris eliciunt. Dicunt, nos DEUM peccati autorem facere, peccatores excusare, Evangelium respectu maximæ hominum partis in scenam mutare, sacramenta in figuras inanes convertere, Manichæismum, Stoicismum, Nestorianismum recoquere aliaque id genus, quæ si vera essent, caussam non dico, cur non justissimè in omnium odia incurreremus, utpote qui religionem totam & solidissima ejus fulcra everteremus. Verùm salva res est, AUDITORES. Pura est, quæ DEI est bonitas, ab impactis hisce criminibus Reformatorum doctrina. Reclamant Doctores ipsorum, libri, scholæ, pulpita, subsellia, imò & ipsa illorum praxis, quanquam ab eâ, quæ esse debuit, longissimè adhuc distat, eos tamen de DEI virtutibus & sanctitatis studio non malè sentire docet. Enimverò, AUDITORES, (ut, quanta sit iniquitas in adscribendis etiam legitimis sed ab adversario negatis consequentiis, evidenter demonstretur,) fateor equidem, tantam intercedere inter veritates omnes connexionem, ut sæpè levissimus error, si accuratè inspiciatur, cum gravissimis ac evidentissimis principiis constare nequeat: sed, an ideò, qui vel in levissimum errorem impegerit, statim prima scientiarum principia, statim veritates momentosissimas negare existimabitur? In Arithmeticis ac Geometricis vel minimus in calculis error cum principiis per se notis consistere nequit. An ideò, qui vel oscitantiâ vel falsâ quadam delusus specie malè calculos quosdam subduxerit, statim dicetur prima principia (velut totum esse majus suâ parte, si æqualibus æqualia demantur, reliqua æqualia fore,) *ignorare vel inficiari? In sacris pariter, quis nescit innumera, sive per inscitiam sive per incogitantiam sive ex præconceptis animi opinionibus Viris piis excidere posse, quæ, positâ DEI existentiâ & virtutibus, stare nequeunt? Numquid statim Viri illi pii Atheismi insimulabuntur? Animas corporeas*, teneras & lucidas, aërii coloris, formæ per omnia humanæ, *veterum multi somniabant inter-*

que

que alios Tertullianus, *quo quidem animi immortalitas non parum convellebatur. An illi propterea animorum immortalitatem & vitam futuram negare dicendi erant? Humanam Christi naturam verè passam negabat* Hilarius, *quo posito redemtionis veritas & patientiæ Christi exemplum penitùs evanescebant. An ideò pius ille Præsul Christum Servatorem abnegare censendus fuit? Possunt, fateor, consectaria illa eum in finem rectè proponi, ut error, unde fluunt, revincatur, & illi, qui ita errant, ad saniorem mentem revocentur. At illa ipsa iis adscribi, qui ea rejiciunt ac abominantur, quasi illorum principia essent, utque ipsi exosi præstentur, id verò est, AUDITORES, quod per æquitatis leges non licet. Etenim, si illationibus ex nostrâ ductis sententiâ, à nobis verò repudiatis, nobis invidiam conflare liceat, quidni & nos eodem jure, iisdem armis in fratres utamur? Nestorianismi nos insimulant. Et nos Eutychianismi vice versâ eos postulabimus. Manichæismum nostris impingunt. Nostri contra Pelagianismum vel Semipelagianismum ipsis adscribent. Quæ quidem agendi ratio si iniqua ipsis videatur cùm in ipsos admittitur, videant, an æquum sit & charitati consentaneum, eam ipsam in nos adhibere.* Omittamus ergò ista communia, (*ut hic Augustini dictum usurpemus,*) quæ dici ex utrâque parte possunt, licet verè dici ex utrâque parte non possint. *Quid, quid, positâ DEI præscientiâ, qualem Augustani Fratres confitentur, eædem propemodùm difficultates, eadem fermè incommoda redeunt, siquidem, vel hoc ipso, res humanæ ineluctabili necessitatis lege constringuntur. Quocirca non nos mutuis ejusmodi, quæ utrisque ferè communes sunt, criminationibus infamare sed hæc arcana placidè modestèque expendere, rationes omnes ultrò citrò que æquâ lance ponderare, quæque hypotheses DEI virtutibus & scripturæ oraculis convenientissimæ visæ fuerint, salvo aliorum judicio, salvâ pace eligere licet.* Hactenus præstantissimus TURRETTINUS, cui reliqui ferè omnes heic assentiuntur, qui tamen, maximè antiquiores itidem consequentias nostris quoque sententiis adspergunt, quas non agnoscimus, existimantque, distinguendum hic cum curâ esse inter consequentias ex verbo

divino hauſtas & ex verbo humano erutas. Illas ajunt, cum verbo divino unum idemque eſſe, quoniam verbum divinum ſit infallibile, cum his autem rem ſecus ſe habere, quia errare homines poſſint ſibique ſubinde haud ſatis conſtent. Aſt non opus eſt, uti jam diximus, Reformatorum hanc in rem placita enarrare. Evolvamus, ſi placet, noſtros, quicunque mitiora heic principia adoptant. Et verò mirum cuidam videatur, nos in arenam hîc reducere JO. HULSEMANNUM, rigidæ alioquin orthodoxiæ Virum. Hic verò ita rem effert: *Die eigentliche Meinung des Menſchen iſt ein innerlicher Beyfall des Herzens und Einbildung ſeines Gemüths, wie ſich dieſes oder jenes verhalte. Geſezet nun, daß dieſer Schluß*: Hurerey, Todſchlag, Ehebruch ſezen den Thäter nicht auſs dem Gnaden-Stande bey Gott, *hierauſs vernunfftig und nothwendig folgete, wenn jemand ſagt*: Einem ſündigen Menſchen iſt Vergebung der Sünden zu erlangen nicht nöthig, daſs er einen guten Vorſaz habe, *ſo iſt und bleibet dennoch ungewiß, ob beſagter jener Schluß in* D. Hülſemanns *Gedancken und Gemüth alſo folge und daß ſeine* D. Hülſemanns *Meynung ſeye, was auſs ſeinen Reden, Säzen und Schrifften in* D. Calixti *Gehirn oder auch in anderer Leuthe Gedancken folget?* Calixtus *aber vermiſſet ſich zu beweiſen, daſs eben daſjenige auch* D. Hülſemanni *innerliche Gemüths-Meinung ſeye, was ſeinen*, Calixti *Gedanken nach, aus* Hülſemanni *Reden folget. UND DAS IST EIN ALBERES FURNEHMEN. Wenn* Calixtus *geſchrieben hätte, daſs* D. Hülſemanni *Rede dieſen Schluſs nothwendig mitbringe oder in des Leſers und anderer Leuthe Gedancken dieſe Meinung natürlicher und ordentlicher Weiſe gebiere*: Ob ſezen die Wercke des Fleiſches den Thäter nicht auſs der Gnade bey Gott, *das lieſſe ſich entſchuldigen mit dem Unterſcheid veræ und apparentis conſequentiæ, oder durch den Unterſcheid, was für ſich ſelbſt aus dem natürlichen Verſtande der Worte folget und was nach des Folgerers oder des Widerſachers Meinung folget. Weil aber* Calixtus *von der intentionali conſequentiâ* Hülſemanni *ſchreibet und will beweiſen, was* D. Hülſemann *in ſei-*

seinem Gemüth für wahr und folgig halte, und warumb Chur-Fürstliche Durchläucht zu Sachsen glauben solle, dass dieses D. Hülsemanns *herzliche Meinung seye:* Kein Laster seze den Thäter aufs der Gnade GOttes, *so begehet er eine dreyfache Bossheit und Frevel wider sein eigen Gewissen*, & quæ sequuntur. Videatur der Calixtinische Gevvissens - Wurm C. 5. p. 360. 361. HULSEMANNO adjungimus ABR. CALOVIUM, qui in examine doctrinæ publicæ Ecclesiarum Reformatarum & syncretismi cum orthodoxis, in articulo de personâ Christi Θεανθρώπου sect. 1. prælim. qu. 5. p. 72. sqq. ita quærit: *an falsa sint* ἐγκλήματα, *quæ per legitimam consequentiam è scriptis Reformatorum deducta iis imputantur?* Certè nihil accuratiùs, nihil solidiùs dici poterat, quàm id, quod ad decidendam hanc quæstionem confert ἀκριβέστατος CALOVIUS. Et primò quidem approbat hìc ille egregium hoc JO. DAVENANTII, Episcopi Salisburiensis effatum: *Urgere licet hujusmodi consequentias ad errorem fratribus eripiendum, at odiosè impingere, quasi essent propria illorum dogmata, non licet.* Hinc idem CALOVIUS ὁ πάνυ. *Non id volumus, odiosè impingenda esse, ceu PROPRIA & PROFESSA dogmata, quæ directè ac disertè negantur, si tantùm per consequentias emergant è sententiis ipsorum, easque tales, quarum evidentiam & veritatem ipsi non videant aut agnoscant. Interim urgeri tamen possunt consequentiæ ad monstrandam* falsitatem, *quin etiam* secundùm quid *ac certo respectu ea tribui possunt iisdem, utpote* consectaria dogmatum, *à quibus* salvis *suis* hypothesibus *sese minimè vendicare possint. Non ergò falsa sunt* ἐγκλήματα, *cùm ea ipsis* hoc pacto *tribuuntur. Distinguendum insuper censemus inter consequentias, quæ* καθ' ἄνθρωπον *fiunt & ex ipsismet adversarii hypothesibus firmitudinem ac robur suum habent, & quæ* κατ' ἀλήθειαν *rectè quidem sese habent ac necessariæ sunt sed quarum vim adversarii non modò non admittant sed rationibus etiam sese repellere posse credant. Illas libentius adhibemus, cùm de adversariorum sententiâ quæritur, has verò ita, ut* secundùm quid certoque respectu *dogmatum consectaria ipsis impingamus. Nec omninò reprobamus* Davenantii *monitum, qui*

cum Bucero, nostrum est, *inquit*, non, quid per se ex quovis sequatur dogmate, sed quid in illorum sequatur conscientiâ, spectare, qui tenent illud dogma, quod nos articulo fundamentali oppositum arbitramur. *Quod autem nihilò seciùs dogmata talia, quæ per se sequuntur ex erroribus adversariorum, iisdem citra injuriam tribuantur, non ut* professa & propria dogmata *ac* proæreticæ sententiæ, *sed ut ea*, quæ emergunt ex ipsorum sententiis, *id ex ipsis terminis per se liquet.* Hucusque illustris Theologus, ABR. CALOVIUS. CALOVIUM ponè sequatur JO. FABRICIUS, qui in præfatione considerationis variarum controversiarum ait, eum, qui *controversias theologicas velit tractare, discrimen facere debere inter ea, quæ quis expressè docet, & quæ ei per consequentiam ab ipsomet tamen non agnitam sed rejectam & improbatam tribuuntur atque imputantur.* Jam & calculum suum adjiciat PHIL. JAC. SPENERUS, Theologus laudatissimus, qui ita mentem suam effatur: *Nil penè aliud adeò odi, quàm istas hæreseon imputationes & consequentias, seculi nostri ferale malum, quod cùm à magis imò maximè necessariis animos abstraxit eosque affectibus carnalibus implevit, Ecclesiam nostram PESSUNDEDIT vel adhuc PESSUND ABIT, nisi maturè obviam eatur, cujus ego penè rationes & modum non video. Qui enim litigia illa aversatur nec zelum laudat, tanquàm ex illâ ὀρθοδοξίας imaginariâ puritate penderet salus, jam infami Syncretistæ nomine notatur aliorumque odiis exponitur, unde, qui hoc subire periculum nolunt, manum retrahunt & malis tantùm ingemiscunt. Ego, regnum DEI non in sermone vel φράσεων ἀκριβείᾳ sed in veritate collocatum persuasissimus, nemini unquam de illis controversiam movebo, ut mihi nullus moveat, quantum in me est, vicissim cavens.* Hæc SPENERUS, cordato planè & aureo calamo, eo tempore scripsit, cùm nemo adhùc ejus orthodoxiam vellicaret aut in dubium vocaret. die 26. Jul. A. 1679. Vide consilia ipsius Theol. latina P. 3. p. 317. Idem eandem sententiam suam effert quoque in den lezten Theologischen Bedencken, quæ edidit L. B. CAROLUS HILDEBRANDUS DE CANSTEIN P. 2. C. 3.

Art.

Art. 3. sect. 4. p. 108. ubi hæc habentur: *Wir haben uns bissdaher mehrmahl beschwehret, wo man uns allerley Irrthum und Kezereyen, denen wir öffentlich widersprechen, beschuldiget, und solche durch allerhand Folgen erzwingen wollen. Nun wird es heissen, wir thäten dasselbe selbsten und dichteten durch Folgereyen unsern widrigen dergleichen Kezereyen und Irrthume an, die sie doch von sich ableineten und das Gegentheil bezeugeten: seye also wider Liebe und Wahrheit, einem eine Lehre zu attribuiren, dero er widerspricht, um ihm nur wehe zu thun und ihn andern durch die Nahmen verruffener Irrthume verhasst zu machen. Wie ich auch nicht in abrede bin, DASS ICH VON HERZEN DERGLEICHEN IMPUTATIONES ABHORRIRE und desswegen WEDER PÆBSTISCHEN NOCH REFORMIRTEN noch andern einigen solche Lehrsäze zuschreibe, darzu sie sich nicht formlich verstehen, also nimmermehr durch Folgen sie derselben beschuldige, sondern auffs höchste die Folgen ihrer Lehre gegen sie also gebrauche, sie ad absurdum zu deduciren, nemlich, dass ihre bekannte Lehrsäze müssten unrichtig seyn, weil dergleichen ungereimte Dinge, die sie selbst nicht annehmen wollten, daraus folgten.* Et p. 109. hæc idem ponit: *Nach meiner Meinung solten auch den widrigen die Irrthume nicht directè zugerechnet werden, weil sie, wie oben gemeldt, denselben selbs widersprechen, sondern es könnte die Beschuldigung dahin gehen, dass man ihnen dieselbe nicht eigentlich zuschreibe sondern sie dahin weise, selbst zu erwegen, ob nicht dieselbe aus einigen ihren bekannten hypothesibus allerdings folgen. Daher weil sie sich selbst zu diesen gefolgerten ungereimten dingen nicht verstehen würden wollen, sie sich dann auch eines andern besinnen, dasjenige, woraus sie folgen, fahren lassen und ihr gesammtes thun ändern sollten, wolten sie anders solche Folgen hinkünfftig mit gutem Grunde von sich abwenden. Diese art wie sie gelinder gehet, so ist sie auch der Wahrheit so wohl als der Liebe gemässer.* Denique & SPENERUS l. c. P. 3. p. 745. hæc habet: *Ich bekenne, dass mich an weitere consequentias aus den libris Symbolicis nicht sondern allein*

allein an das, vvas sie expressè lehren, binde. Iene Ehre aber gehöret allein der Schrifft. Quæ omnia Anno 1695. 1696. à Viro celeberrimo scripta fuere. SPENERUM insequi jubemus Theologum judiciosissimum JO. FRANC. BUDDEUM, qui, cùm in prolusione academicâ de Theologiæ polemicæ studio C. 5. p. 29. *iniquum consequentiarum abusum* rejecisset, C. 7. p. 33. 34. ista ponit: *Si quis errores admisisse tibi videatur, qui in ejus systemate vix locum inveniant nec conciliari cum reliquis ejus aut principiis aut hypothesibus queant, caute omninò incedendum. Namque magna tùm suspicio oritur, aut per meram obtrectationem, quod hodiè longè est frequentissimum, errorem istum illi tribui, aut, si jure tribuatur, non satis eum, cùm talia assereret, pensi habuisse, quid decerneret, quo ipso mitiorem promereri videtur censuram. Quod si aperte & pertinaciter error cum systemate non cohærens defendatur, tùm demùm fatendum fuerit, non sibi constare semper homines sed maximam hoc ipso prodere mentis imbecillitatem, dum asserunt pugnantia secum & quæ consistere nullo modo possunt.* Hactenùs celeberrimus BUDDEUS. Denique etiam in censum hîc venire debet Theologus irenicus præstantissimus idemque nobis amicissimus D. EBERH. FRID. HIEMERUS, quem mitrâ doctorali nuper ornavimus & honoris causâ hîc nominamus. Hic enim in diss. inaugurali de moderatione Theologicâ §. 18. cum monuisset, *in ipso religionis negotio inter partes Protestantium dissentientes ex unâ æquè ac alterâ parte multas querelas de consequentiis falsò imputatis observari*, approbat in notâ JO. HENR. HEIDEGGERI verba, qui ita rectè: *In imputandis consequentiis judicio, conscientiâ, æquitate & charitate opus est. Judicio, ne quid temerè & negligenter pro consequente venditetur, quod tale non est. Conscientiâ, ne cui sive homini sive Ecclesiæ ejusmodi per consequentiam dogma affingatur, à quo plane alienus est. Æquitate, ne faciamus aliis, quod nobis fieri nollemus. Denique charitate, ne infirmitates proximi justo severiori censurâ damnemus, vel, quod imbecillitatis est, malitiæ & pertinaciæ transcribamus.* Vide Acta doctoralia Hiemeriana nuper cusa p. 26. sqq. Queis omni-

omnibus nescio num adfundi mereatur id, quod in diss. de vitiis eorum, qui sacris operantur & medelâ rebus hìc adhibendâ sect. 1. §. 7. diximus, ubi n. 4. hoc in Theologiâ polemicâ grassans vitium reprehendimus, dissentientibus *consequentias, quas non admittant, duriores* vulgò *obtrudi*, queis & addi possunt ea, quæ in scriptis nostris irenicis de ratione disputandi cum Reformatis posuimus. Quod restat, ea, quæ à recentioribus Irenicis scriptoribus hanc in rem ultrocitroque dicta sunt, referre non opus est. Tædium quippe prolixitas creat. Id unum adhùc observamus, modum illum dissentientes per invidiosas consequentias ex ipsorum erroribus petitas adgrediendi pertinere ad *argumenta theologica ab invidiâ ducta*, uti probè observavit præstantissimus CLERICUS in dissert. philosophicâ de argumento theologico ab invidiâ ducto, quæ ad calcem Logicæ ab eodem conscriptæ exstat. Digna sunt ejus verba, quæ adponamus, numeris 12. & 13. posita: *Nonò, ut accendatur invidia, non modò invidiosissimè exponuntur dissentientium dogmata sed & consectaria invidiosa ex iis deducuntur seu falsa ea sint seu vera sed nequaquam pro legitimis consectariis ab iis, qui oppugnantur, agnoscenda. Sic, cùm* Vigilantius *negâsset, adorandas esse reliquias Martyrum, consectariorum falsissimorum sed apud imperitos verisimilium invidiâ ambustus obticuit.* Ergo, *inquit adversarius* Hieronymus *consectaria illa proponens*, Petri & Pauli immundæ sunt reliquiæ? Ergò Moysi corpusculum immundum erit, quod juxta Hebraicam veritatem ab ipso sepultum est Domino? Et quotiescumque Apostolorum & Prophetarum & omnium Martyrum Basilicas ingredimur, toties Idolorum templa veneramur? Accensique ante tumulos eorum cerei idololatriæ insignia sunt? Plus aliquid dicam, quod redundet in auctoris caput & insanum cerebrum vel sanet aliquando illud vel deleat, ne tantis sacrilegiis simplicium animæ subvertantur. Ergò & Domini Corpus in sepulchro positum immundum fuit? &c. *Nemo non videt, hæc aliena fuisse à mente* Vigilantii. *Sed nihil potuisset dici aptius ad plebem commovendam.* Pergit Vir doctissimus n. 13. *Decimò præter hæc omnia augetur invidia*

vidia suspicionibus, quæ pro irâ & malignitate disceptantium modum accipiunt aut potiùs nullum habent, cùm nullum suspicandi finem faciant homines irati aut maligni. Vigilantium *suspicabatur* Hieronymus, *aut se suspicari fingebat non credere immortalitatem animi nec proinde mortem religionis causâ adeundam.* Suspicaris, *de Samuele Prophetâ loquens*, mortuum, *inquit*, & idcircò blasphemas. *Inferiùs verò:* miror, quòd non dicas, nequaquàm perpetranda martyria, Deum enim, qui sanguinem hircorum taurorumque non quærat, multò magis hominum non requirere. Quod cùm dixeris, imò, ETSI NON DIXERIS, ITA HABEBERIS, QUASI DIXERIS. Qui enim reliquias Martyrum adseris calcandas esse, prohibes sanguinem fundi, qui nullo honore dignus est. *Eum etiam* Hieronymus *variarum hæresium suspectum facere nititur, cùm ex iis, quæ dicebat, de ejus sententiâ esset judicandum, non ea ei affingenda, quæ nequaquàm aperuerat.* Hactenùs judiciosissimus CLERICUS. Jam, si placet, ad decisionem quæstionis nostræ viam paremus atque argumenta, in utramque partem quæ afferri solent, proferamus.

TRACTATIO.

Et verò pro imputatione legitimarum consequentiarum quæ à dissentientibus tamen haud agnoscuntur militare videtur I. sensus communis & sana ratio, quæ consequentias legitimas utique agnoscendas esse dictitat. Jam enim, hoc nisi esset, jus ratiocinandi & unum ex altero colligendi tollendum esset vel saltem parum utilitatis secum ferret II. Praxis Christi, qui consequentias imputavit Matth. XV. 3 sqq. XXII. 31. 32. 42. sqq. Joh. X. 30. sqq. & imputare præcepit Matth. VII. 16. 20. ubi per καρπὸς consequentias ex erroribus profluentes intelligi putant Theologi. III. Praxis Apostolorum, Petri Act. VIII. 20. XV. 10. & Pauli 1. Cor. XV. 12. sqq. Gal. II. 21. III. 1. V. 2. sqq. Phil. III. 18. 19. Tit. I. 16. 1. Joh. II. 4. qui itidem velle dicitur, consequentiæ ut imputentur. Tit. I. 13. IV. Praxis Ecclesiæ primitivæ Patrum-